



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 7. An vnus Episcopi approbatio pro tota Ecclesia sufficiat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

SECTIO VII.

An vnus Episcopi approbatio, pro vniuersa Ecclesia sufficiat.

Supponimus non esse questionem de approbatione, quam Summus Pontifex per se ipsum conferre potest: clarum est enim posse, si velit quemcumque dignum sacerdotem pro vniuersa Ecclesia exponere & approbare. Illa tamen approbatio non est ea, de qua Concilium Tridentinum loquitur, & quam Pontifex ipse ordinarie seruari vult, etiam in bullis & priuilegiis ab ipso concessis. De hac ergo fere eadem sunt opiniones, que supra tractatae sunt: nam haec questionem connexae fere sunt, ac dependentes. Qui ergo existimant, necessariam esse approbationem Episcopi loci, vel poenitentis, consequenter aiunt, non sufficere approbationem vnus Episcopi pro tota Ecclesia ad quamcunque delegationem, siue fiat ab inferioribus praelatis vel parochis, siue ab ipso Summo Pontifice, nisi expresse in iure Concilij Tridentini dispenserent. Hanc opinionem in effectu tenet Ioannes Gutierrez li. 2. Canon. questio. cap. 27. Emmanuel Rodericus in expositione bullae. s. 5. vbi refert. Patriarcham Archiepiscopum Valentinum in hoc puncto consuluisse illusterrimos Cardinales, eosque ita respondisse: Congregatio Concilij respondet, approbationem ab alio quam a Valentino Episcopo, in diocesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario. Quae verba refert hic auctor se vidisse, & fuisse in epistola ad praedictum Patriarcham. Refert etiam, a multis doctis viris esse hanc sententiam receperam. Rationes autem, quibus ipse vtitur, omnes supponunt Concilium loqui de Ordinario poenitentis, & non eius, qui additurus est confessiones: hoc autem esset probandum: nam illo supposito, illatio per se satis clara est. Confirmari autem potest, quia approbatio confessoris est actus iurisdictionis, qui licet versetur proxime circa sacerdotem: terminatur autem (vt sic dicam) ad poenitentem propter quem sacerdos approbatur: ergo non transcendit terminos potestatis Episcopi approbantis, qui termini (vt dixi) in hoc negotio magis comparatione personarum, quam locorum sumendi sunt. Denique rationes omnes superior sectione factae in 2. & 3. opinione hinc accommodari possunt.

Prima opinio.

Ioh. Guim. Em. Manuel. Roderic.

Secunda opinio.

Hen. Medina.

Palacios.

Corduba.

Secunda opinio absolute dicit, approbationem ab vno Episcopo datam, sufficere ex hac parte pro tota Ecclesia, id est, vt sacerdos sit idoneus ad iurisdictionem recipiendam ab eo, qui alias possit eam delegare. Hanc tenet Henricus supra dict. libr. 8. de Indulgentiis ca. 13. circa finem, qui eam tribuit Medina 1. 2. q. 19. ar. 6. circa finem. verum. Caeterum, vbi solum dicit esse probabilem, quam licite in praxi sequitur. Tribuit etiam Palacios 4. d. 17. disp. 7. pag. 265. sed ibi solum dicit, sacerdotem idoneum eligendum per bullam debere esse approbatum ab Ordinario, iuxta tenorem Tridentini: quod non amplius declarat. Imo col. 258. inclinare videtur in priorem sententiam, vbi post similia verba subdit, Si igitur Ordinario videbitur sat esse ad confessiones praeficere eos, qui alioqui imperiti sunt, secundum ius idonei sunt reputandi: si vero alia exegerit ad confessionis audientiam, illa erunt necessaria idoneitati huiusmodi. vbi hoc videtur ponere in arbitrio vniuscuiusque ordinarij. Citat denique Cordubam in Sum. Hispana. q. 10. qui eam satis significat. Fundari potest, quia Concilium solum requirit Episcopi approbationem, vt sit idoneus respectu secularium, sine vlla exceptione. Nec refert quod Concilium in plurali dicat, ab Episcopo, quia loquitur etiam respectu plurius sacer-

Adnotum, & non intelligit singulos debere approbari ab Episcopis, sed confessores, confusa etiam loquendo. Sed hoc fundamentum parui momenti est: nam verba Concilij ad vtramque partem applicari possunt: & in rigore iuris potius videntur interpretanda de Episcopo, qui sit superior seu Ordinarius respectu talium personarum, vel alicuius ex illis. Quocirca opinio illa ita vniuersaliter intellecta, nimis amplam & liberam facultatem tribuere videtur: multa enim ex illa inferri possunt, quae practice non videntur tuta, nec consentanea rationi & consuetudini. Sequitur enim, posse aliquem poenitentem eligere confessorem, qui nec ab Ordinario ipsius poenitentis, nec ipsius sacerdotis approbatus sit, sed ab alio Episcopo extraneo: consequens autem videtur absurdum. Qui enim credibile est posse vnum Episcopum ita exponere sacerdotem sibi non subdium, vt in vniuersa Ecclesia haberi debeat idoneus ad confessiones audiendas? aut quo iure data est talis potestas Episcopo alieno? Sequitur etiam Mendicantes seu regulares ab vno Episcopo approbatos, posse vbique audire confessiones virtute suorum priuilegiorum, quod est contra motum Pij V. & Gregorij. XIII. de hac re. Et alia similia inferri possunt, quae in sequentibus annotabimus.

Secunda opinio in quodam sensu probabilis iudicatur.

Igitur, vt haec opinio probabilitatem habeat, restringenda videtur ad approbationem simpliciter, quae solum ab Episcopo Ordinario ipsius sacerdotis dari potest: quia solus ille habet propriam & directam iurisdictionem in ipsum, quae necessaria videtur ad talem actum. Itaque dupliciter approbari potest aliquis sacerdos ad confessiones audiendas. Vno modo secundum: quid tantum, id est pro certo, vel ad certum tempus, vel pro talibus personis, & tunc censo approbationem illum non sufficere vltra terminos confessionis, vt docent citari auctores. Et ratio est, quia approbatio commissa est Episcopo, & ideo non plus valet, quam ab illo data est: si ergo data est ad determinatum locum, extra illud non valet. Et talem esse censo approbationem datam ab Episcopo poenitentis, qui non est ordinarius ipsius confessoris: nam ille solum respectu potest illum approbare pro suis subditis: & ideo sic approbatus ab aliis extraneis, & non subditis tali Episcopo, eligi in confessorem non poterit, nec alio modo iurisdictionem in illos accipere, quia nullo modo est approbatus ab Ordinario respectu illorum. Idemque esset si approbatio etiam data ab Episcopo proprio ipsius sacerdotis, limitate daretur pro sola sua diocesi: quia tunc etiam non esset approbatio simpliciter. Tunc ergo per bullam eligi poterit talis sacerdos ab his, pro quibus approbatus est, quia quoad illos approbatus est ab Ordinario, non vero poterit ab aliis eligi, propter contrariam rationem. Nec vero respectu priorum inuicem est tale priuilegium: tum quia dat iurisdictionem, quam per se non dat approbatio sola: tum quia regulariter solet dare ampliore iurisdictionem, quam solet dari ab Ordinario: tum denique quia non est solum ad eligendum talem sacerdotem, sed etiam quemcunque alium sufficienter approbatum. At vero si proprius Ordinarius velit, videtur dare absolutam approbationem, declarando hanc personam esse idoneam simpliciter ad hoc ministerium, quia hoc non excedit iurisdictionem eius, quia haec declaratio est per modum cuiusdam iudicij vel sententiae, quae dari potest absolute de persona ab habente in illam directam iurisdictionem, abstrahendo ab omni respectu ad loca, vel personas. Vnde potest dici talis Episcopus tunc dicere ius extra territorium suum, nam sententia in vno loco data, quatenus adhaeret suo modo tali personae, habet effectum vbique locorum, qui cum illo quodammodo incedit. Sic excommunicatus ab vno Episcopo, est vbique excommunicatus, & Licentiatum in vna vniuersitate, vbique

In alio probabiliori sensu, occurrat sententia proponitur.

vbique habet testimonium publicum scientiæ, & sic de alijs.

<sup>4</sup> *Secunda opinio in posteriori sententia superatur.*  
 Hoc ergo supposito, probabilis sit hæc opinio, quæ explicari potest applicando distinctionem supra innuatam. Possimus enim loqui de sufficientia & necessitate approbationis vel ex vi Concilij, vel ex alijs principijs, aut ex intentione delegantis iurisdictionem. Dicta ergo opinio loquitur priori modo, & sic sequitur cum magna probabilitate ex principijs positjs. Nam ostensum est Concilium vnius tantum Episcopi ordinarij approbationem requirere: ostensum est etiam Episcopum sacerdotis posse illum simpliciter & absolute approbare. Quod autem caput est, hoc videntur plane supponere responsiones Romanæ, & Pontificiæ superiori sect. citatæ. Cur enim potest Episcopus eligere alienum sacerdotem approbatum à suo Ordinario, & non alias, nisi quia illa approbatio pro omnibus sufficit, si alias iurisdictione delegetur? Idem quæri potest de religioso, qui potest eligere sacerdotem solum à suo Ordinario approbatum, sine vlllo respectu ad Ordinarium penitentis. Præterea in hoc nulla fit iniuria alijs Episcopis, qui possunt non delegare suam iurisdictionem sacerdotibus à se non approbatis: possunt etiam prohibere suis parochijs ne illum delegent nisi eisdem, & annullare delegationem aliter factam: & hoc satis est vt suis ouibus consulant. Si autem Papa delegando iurisdictionem suam, voluerit esse contentus illa absoluta approbatione Ordinarij sacerdotis, nullam iniuriam facit Episcopis: quia ipse est vniuersalis pastor, & potest providere suis ouibus vt iudicauerit expedire. Sicut dâdo religioso facultatem eligendi confessorem approbatum ab Ordinario solius sacerdotis, non facit iniuriam Provinciali, vel prælato religionis, qui est ordinarij penitentis quo ad iurisdictionem in hoc foro. Et olim ante Concilium Tridentinum quilibet sacerdos idoneus cuiuscunque diocesis eligi poterat per diplomata Pontificia sine præiudicio Episcoporum: nunc autem per decretum Concilij non est illis datum aliud ius nouum, præterquam vt suos subditos approbare debeant, sine qua approbatione nõ possint idonei reputari.

<sup>5</sup> *Conclusio posita, iuxta modum de legationis, & intentionem delegantis limitanda.*  
 Quamuis hæc ex vi Concilij, & de possibili (vt sic dicam) vera sint, nihilominus in particulari & ad iudicandum de modo delegationis aut facultatis concessæ, alia principia spectanda sunt, & præcipue modus approbationis, & intentio delegantis. Clarum enim est liberum esse concedendi iurisdictionem alicui sacerdoti, dare illam sub conditione, vt sit approbatus ab Episcopo diocesis, in qua confessiones audit, seu ab Episcopo penitentis, & non alias. Item qui dat penitenti facultatem eligendi confessorem, potest illam limitare ad sacerdotem approbatum ab Episcopo ipsiusmet penitentis. Delegatio enim & modus delegationis pendet à voluntate delegantis, & ideo non extenditur vltra intentionem eius. Itæm ex parte approbationis potest esse limitatio, si non sit absoluta, sed secundum quid, vt explicauimus. Aliquando etiam potest esse aliunde prohibitio administrandi sacramentum in alieno Episcopatu, non ob defectum approbationis, sed ex alio capite propter debitum ordinem: & tunc etiam non sufficit approbatio alterius Episcopi sine licentia proprij. Quæ omnia explicantur melius ad varios casus per nonnulla dubia particularia descendendo.

*Varij casus & dubia proponuntur & explicantur vt doctrina superius data magis innotescat.*

<sup>6</sup> *Primum dubium.*  
 Primo ergo dubitari potest quando Summus Pontifex concedit omnibus fidelibus facultatem

<sup>7</sup> *Rationes dubitandi.*  
 eligendi in confessorem quemlibet presbyterum approbatum ab Ordinario, an possit subditus huius Episcopi Conimbricensis eligere sacerdotem secularem subditum alterius Episcopi, verbi gratia Portuenfis, & ab illo tantum approbatum, siue hoc fiat dum talis penitens in hunc finem tendit ad aliam diocesim, vt tali sacerdoti confiteatur, siue quia casu accidit, vt ipse sacerdos in hoc Episcopatu versaretur. Hinc enim apparet hoc fieri non posse, quia alias in ordine ad talia priuilegia omnis sacerdos approbatus à solo suo Episcopo, esset approbatus pro vniuersa Ecclesia: quod non videtur esse iuxta mentem Pontificis concedentis priuilegium, quia non vult derogare iuri singulorum Episcoporum: videtur etiam esse contra responsionem illam Congregationis Cardinalium, quam in priori opinione retulimus. Rationes etiam superius factæ pro primâ sententia hanc partem persuadere videntur. Contrariam autem partem suadent in primis aliæ declarationes Pontificiæ, quas nos in proprijs terminis vidimus, & à viris tanta autoritate præditis, vt dubitare non possimus quin tales sint. Ibi autem expresse declaratur, in prædictis bullis & Iubilæis non esse sermone de Ordinario penitentis, sed confessoris: hæc ergo approbatio per se loquendo sufficit, vt penitens eligere valeat sacerdotem quemcunque, etiam eundo ad alienam diocesim: nam hoc nihil refert ad hoc sacramentum, vt supra dictum est, quando iurisdictione aliunde habetur, vt in hoc casu habetur à summo Pontifice per tale priuilegium. Hoc etiam videtur plane sequi ex supra dictis, quia Summus Pontifex in his bullis cum dicit, presbyterum approbatum ab Ordinario, nihil aliud intendit, nisi vt iuxta formam Concilij Tridentini fiat electio confessoris: ergo si Pontifex tantum loquitur de sacerdote approbato ab Episcopo confessoris, de eodem loquitur Concilium: ergo eligendo illum satisficit Concilio: ergo poterit eligi ex vi Concilij vbique, & à quocunque penitente habente tale priuilegium.

<sup>8</sup> *Qualiter solutio. Declaratio Cardinalis in contrarium citatæ exponitur.*  
 Fateor hæc posteriora fundamenta videri maioris momenti: nam quod ex parte Concilij non amplius requiratur, satis probabile est ex dictis: quod vero nec ex intentione Pontificis per hæc priuilegia plus postuletur, & est per se satis consequens, & ex testimonijs prædictis habetur. Alia vero responsio, quæ in contrarium citatur, licet ad manus meas in propria specie ac forma non peruenit, exponi potest quoad alios effectus, vel delegationem, & approbationem alterius Episcopi non censi sufficentem in alia diocesi: secus vero esse in ordine ad delegationem & Priuilegium Pontificium. Nisi velimus potius dicere, cum hoc pendeat ex intentione Pontificis concedentis priuilegium, forte alias intellectum esse mentem eius fuisse, vt vnusquisque fidelis eligat confessorem, à suo Episcopo, id est penitenti: approbatum: & alteram declarationem intelligendam esse solum quoad regulares, de quibus in specie loquitur. Aliter etiam dici potest, illud procedere quando ex parte Episcoporum hæc approbatio non est absoluta & simpliciter, sed ab vnoquoque pro sua diocesi: tunc enim verum est approbatum ab vno Episcopo non esse approbatum pro vniuersa Ecclesia, etiam quoad hæc priuilegia, quia hoc non pendet tantum ex potestate, sed ex voluntate. Non video autem vnde hoc satis consistere possit, nisi forte ex eo, quod nullus vult, vt sacerdos à se non approbatus, in sua diocesi, vel onium suarum confessiones audiat: hinc enim consequens esse debet, vt nullus velit aliter suos subditos approbare quam pro suis ouibus, seu diocesi sua. De regularibus autem nihil ipsi decernere possunt, & ideo de illis specialis declaratio facta est. Denique dici potest, in vniuersum verum esse, sacerdotem eligendum debere esse approbatum à suo ordinario:

nariorum: tamen eo ipso quod in aliena diocesi confessiones audit: iam se gerere vt subditum alterius Episcopi, & non sui, & ideo indigere approbatione Episcopi illius diocesis, vt Ordinarij sui. Sed hæc responsio licet pro alijs dubijs tractandis accommodata esse possit, hic non ita quadrat: tum quia destruit doctrinam datam: tum etiam quia enervat & futiles reddit responsiones Pontificias supra citatas: sic enim vanum fuisset distinguere inter Ordinarij penitentis, vel confessoris: nam semper esset idem diuersis respectibus, Et ita etiam in regularibus dici posset, eos per bullam non posse eligere approbatum nisi ab illo Episcopo cui actum subiiciuntur, & quem pro ordinario suo, modo superius declarato, quod est contra declarationem Gregor. XIII. Tum denique, quia quando confessor eligitur per priuilegium Pontificium, in eo actu non se gerit vt subditus Episcopi penitentis, seu diocesis in qua confessionem audit, sed solum vt delegatus Pontificis: ergo etiam iuxta illam declarationem non indigebit nisi approbatione sui Ordinarij. Alia etiam responsio, quæ fundatur in speciali intentione Pontificis delegantis hoc modo iurisdictionem pro secularibus, & non pro regularibus, valde incerta mihi videtur, quia vniuersimter conceditur, iuxta formam Tridentini, & nihil amplius exigitur in hac parte, quam in regularibus. Alia vero responsio, sumpta ex intentione Episcoporum dantium limitatam approbationem etiam suis proprijs subditis, apparentior est, quantum incerta, quia si possunt absolutam dare, vnde constat de hac limitatione? Itaque opinionem positam probabilem valde existimo. Tamen quia res est grauis, & ex ea pendere potest vnde sacramenti, consulere semper in praxi sequi opinionem securiorem: qui autem oppositum sequi voluerit, non peccabit, vt ex dictis constat.

*Secundum dubium, An regularis approbatus ab vno Episcopo, pro omnibus approbatus videatur.*

**H**inc vero nascitur secundum dubium, an idem dicendum sit de regularibus, quod approbatus ab vno Episcopo, sit censendus approbatus pro omnibus diocesis. Nam auctores, quos pro secunda sententia regulimus, ita censent: alij vero simpliciter negant, quorum sententia regulariter mihi videtur procedere, cum quadam vero limitatione. Duobus ergo modis possunt regulares administrare hoc sacramentum: vno modo quia eliguntur per bullam, alio modo per sua priuilegia. Omitto tertium modum, qui esse potest per particularis Episcopi delegationem: quia de illo dicam infra. Quod ergo spectat ad priorem modum, supponendum est quod supra diximus de modo quo regulares possunt habere ordinarium Episcopum. Quod supposito primo dicendum censo, religiosum approbatum à suo ordinario id est, ab Episcopo in cuius diocesi habitabat, si habitationem & quasi domicilium mutet in locum alterius diocesis, indigere noua approbatione Episcopi illius diocesis, vt eligi possit per hanc facultatem, quia debet esse approbatus à suo Ordinario, iam autem alium Ordinarij habet, ergo à sua approbatione indiget. Vt si sacerdos secularis approbatus à suo Episcopo, mutet domicilium in aliam diocesis, indiget noua approbatione, quia iam habet alium Episcopum proprium: & sicut supra dicebamus, non satis esse habuisse beneficium curatum, nisi de presenti habeat, ita non satis est habuisse approbationem à proprio Episcopo, si iam cessauit, prout reuera cessauit eo i-

**A** pto quod ille desit esse proprius Episcopus: necessesse est ergo habere approbationem ab Episcopo, qui nunc est proprius, & ordinarius. Ita ergo in religiosis dicendum est, qui quoad hoc solum videntur differre à secularibus, quod facilius, & frequentius domicilium mutant, & ideo sæpius coguntur hoc onus sustinere: sed hoc nihil refert. Et confirmatur ex Motibus proprijs Pij V. in quibus prius concessit Mendicantibus vt speciale priuilegium, vt semel examinati, & approbati ab vno Episcopo, non possent ab alijs examinari, etiam si mutarent Episcopatum: ergo supponebat antea, & iure ordinario posse. Vnde postea reuocauit illud priuilegium, & declarauit posse examinari, non solum in alio Episcopatu, sed etiam in eodem à successore, ad maiorem quietem conscientiarum suarum: quod etiam habent nonnullæ declarationes Cardinalium.

**D**ices, ergo, si religiosus approbatus semel in vno Episcopatu, mutet illum, & postea iterum ad eundem reuertatur, indigebit noua approbatione, quia iam prior ipso facto cessauit. Respondeo negando sequelam: quia licet prior approbatio ex parte ipsius sacerdotis, quasi suspensa, vel mutata fuerit: tamen ex parte Episcopi approbantis nunquam fuit mutata, vt supponimus: & ideo statim, ac religiosus reuertitur ad eundem Episcopatum, & quasi ad subiectionem eiusdem Episcopi, censetur etiam prior approbatio moraliter redire ad eundem statum, quando reuocata non fuerit. Atque hanc etiam esse Episcoporum intentionem vsus ipse confirmat.

**S**ecundo dicendum, religiosum approbatum simpliciter ab aliquo Episcopo, in cuius diocesi habitat, quando ibi commoratur, eligi posse per bullam à quolibet vrente & gaudente priuilegio eius. Hoc videtur mihi certius quoad regulares penitentes propter declarationem Gregorij XIII supra adductam: itaque ille sic approbatus eligi poterit à quibuscunque regularibus cuiuscunque ordinis, vel religionis, supposito quod alias possint vti bulla vel iubilæo. Hoc per se patet ex dicta declaratione, & quia ille est absolute approbatus à suo Ordinario. At respectu penitentium secularium habet assertio eam probabilitatem, quam opinio tractata præcedenti dubio. Iuxta quam si coningat talem religiosum discurrere peregrinando, poterit per bullam Cruciatæ, & similes eligi ad confessiones audiendas, vbicunque sit: quia ille non mutat habitationem, neque ordinarium Episcopum suum, ergo semper manet approbatus à suo ordinario, vbicunque existat: ergo hoc satis est vt possit vbicunque eligi. Item, si hoc potest clericus secularis in simili casu, cur non regularis, cum Concilium pares eos faciat? Item in loco suæ habitationis existens, possit per priuilegium bullæ audire confessionem hominum aliarum diocesis illuc venientium: ergo & è conuerso, quia præsentia in hoc vel illo loco, vt sepe dixi, in hoc nihil refert. Sed obiici potest, quia Gregor. XIII. concessit Societati vt speciale priuilegium, quod confessores eius approbati semel, discurrendo per alias diocesis, possent ibi audire confessiones, licet ibi non essent approbati, & hoc ipsum cum limitationibus in illa bulla contentis. Respondeo, ibi non esse sermonem de confessionibus audiendis virtute bullæ seu priuilegij concessi penitenti, sed virtute propriorum priuilegiorum ipsius regularibus concessorum, de quibus est alia ratio, vt iam dicemus.

*Tertia Dubitatio.*

**T**ertium ergo dubium est circa alium modum quo regulares ministrant hoc sacramentum per sua priuilegia, an eo ipso quod approbati sunt semel possint vbique suis priuilegijs, & iurisdictione, quæ

*Obiectio.*

*Responsio.*

*Secunda conclusio.*

*Prima cõl.*

**E**

**E**

quæ

quæ per illa eis conceditur, vti. Ad quod breuiter respondeo non posse, sed in vnoquoque Episcopatu in quo habitant, debere ab illius Episcopo approbati. Ita etiam explicantur optime quoad hanc partem decisiones Pij, & Gregorij, & conciliantur cum responsionibus Cardinalium. Et suaderi potest, quia in hac iurisdictione in re eadem delegatio fit, siue directe concedatur confessori, siue per facultatem factam penitenti ergo eadem approbatio requiretur & sufficit: ergo, sicut sacerdos eligendus per diploma Pontificis debet esse approbatus à suo Ordinario: ita vti iurisdictione ei communicetur per priuilegia Pontificia, debet supponi approbatus à suo Ordinario, & illa approbatio sufficit, quando durat, Vnde fit consequenter ad dicta, vt quando religiosus mutat diœcesim, incipiat habere nouum ordinarij Episcopum: ergo, si ab illo non approbatur, non est approbatus à suo Ordinario: ergo non potest confessiones audire: indiget ergo noua approbatione. Deniq; verus sensus Concilij ex Romana declaratione sumendus est, quo positò, reliqua nullam habent difficultatem, vt magis ex dicendis constabit.

12. Maior difficultas est quando religiosus non mutat permanentem habitationem, sed per alias diœceses discurrit, an ex vi suorum priuilegiorum possit vbique confessiones audire, etiam si tantum à suo Episcopo approbatus sit. Nam, consequenter loquendo, videtur esse asserendum. Diximus enim posse tunc eligi per diploma Pontificis: ergo etiam poterit vti priuilegio sibi concessò, quia etiam diximus, nihil referre quod delegatio fiat vno, vel alio modo. Item, quia religiosus nunc approbatus, & existens in hac diœcesi, potest in ea audire subditum alterius diœcesis, volentem sibi confiteri, non propter priuilegium ipsiusmet confessoris, vt omnes auctores admittunt videntur, & vsus etiam confirmat. Ergo & è conuerso, si religiosus habitans in vna diœcesi, existat præsens in alia, poterit ibi audire confessiones per sua priuilegia. Nam quod quidam dicunt approbationem illam non extendi extra diœcesim localem, vt indicat Gutierrez supra, gratis dictum est: nam, si approbatio non limitatur ad personas diœcesis, neque ad locum terminatur, cùm termini locales nihil referant ad exercitium huius iudicij, vt sæpe dictum est: si enim iurisdictione, etiã delegata, non terminatur locis, sed personis, cur approbatio terminabitur ad certum locum cum tota ad iurisdictionem ordinetur, & ad utilitatem personarum,

Syluest. Confessor. 2. Adrian. q. 5. de Confess. Molinæ Cod. de Confess. q. de Confess. fratrib. priuilegiis facta. Sor. d. 18. q. 4. ar. 2. c. 3.

13. Obiect. proponuntur.

Nauarr.

Nihilominus contrariam partem videntur suadere illi Motus proprii Pij V. & Gregorij 13. & maxime illud, quod Gregorius concessit religiosis Societatis Iesu, vt possint audire confessiones dum inter agunt, etiam vbi non sunt approbati, si alibi approbati sunt: ergo ex vi ipsius approbationis, & communium priuilegiorum non poterant. Præterea refert Nau. c. 37. nu. 266. Sixtum. 4. concessisse Mendicantibus vt possint audire confessiones omnium, qui ad sua loca confitendi causa venerint, licet non sint ex Episcopatu, ad quem fuerunt præsentati: ergo ex vi communium priuilegiorum cum sola approbatione in suo Episcopatu, non possunt etiam ibi confessiones externorum audire, sed hoc tantum poterunt ex vi illius specialis priuilegij: vnde videtur inferre Nauarrus, extra illam diœcesim non posse, quia hoc illis non conceditur per tale priuilegium. Tandem religiosi nunc approbati ab vno Episcopo, iuxta formam Concilij Tridentini, non habent ex vi suorum priuilegiorum maiorem potestatem, quam antea haberent præsentati alicui Episcopo iuxta formam Clement. Dudum, de Sepulturis, & Extrau. Super cathedram, de Sepulturis. Sed antea non poterant præsentati in vno tantum Episcopatu vti iurisdictione extra illu propter sua pri-

uilegia, vti aperte constat ex eadem Extrauagante, & notauit Sylu. Confessor. 1. s. 14. & Confessor. 2. s. 4. & Sor. d. 18. q. 4. art. 3. s. Aliud vero dubium, vbi in sine tanquam certam videtur asserere hanc partem, quam hæc postrema ratio mihi plane videtur conuincere: Quia approbatio, quæ tunc fit ab Episcopo, non facit vt hæc priuilegia sint ampliora: sed successit loco prioris præsentationis, vt iuxta declarauit.

Vnde ad priores rationes dicendum est solum probare potuisse Pontificem, etiam seruato iure communi Concilij Tridentini, concedere iurisdictionem religiosis per eorum priuilegia, non postulata alia approbatione, nisi vnus Episcopi Ordinarij, tamen de facto per talia priuilegia non concessisse, nisi pro hominibus illius diœcesis, in qua approbati sunt: pro externis vero non nisi, quando illi in eadem diœcesi versantur, idque non ex vi Clementinæ Dudum: sed propter speciale priuilegium Sixti 4. vel si aliqui eorum amplius possunt, id erit propter specialia priuilegia; quæ semper consulenda sunt.

#### Quarta Dubitatio.

15. Quarto ex his facile intelligitur, quid dicendum sit de Episcopo delegante suam iurisdictionem, vel dante facultatem alicui subdito eligendi confesorem. De priori puncto, quando iurisdictione directe delegatur ipsi sacerdoti, in superiori sectione satis dictum est. Circa secundum de facultate eligendi, possumus considerare, quid possit, vel quid faciat Episcopus. Quoad potestatem ergo certum est, non posse dare facultatem eligendi, nisi approbatum iuxta formam Concilij, vt est per se notum. Vnde necesse etiam est vt talis sacerdos eligendus sit approbatus, vel à suo ordinario Episcopo, vel saltem ab Episcopo ipsius penitentiis, qui in presenti est idem, qui dat hanc facultatem penitenti. Patet, quia nullus Episcopus potest habere iurisdictionem in tali casu. Rursus etiam existimo certum, posse Episcopum concedere hanc facultatem generalem eligendi quemcumque sacerdotem approbatum ab ordinario ipsius sacerdotis, siue sit subditus ipsius Episcopi, siue non sit, ita vt ex vi talis facultatis possit subditus eligere confesorem, non solum approbatum in suo Episcopatu, sed etiam in quocumque alio, dummodo approbatio sit à proprio Episcopo ipsius sacerdotis. Probatur, quia si approbatio confessoris, facta à proprio ipsius Episcopo, est sufficiens, vt iuxta formam Conc. Trid. ille sit capax iurisdictionis delegatæ in hoc foro: etiam erit sufficiens, vt quilibet alius Episcopus committat tali sacerdoti ouem suam, dando illi iurisdictionem media tali facultate. Consequentia est euidentis, quia supposita proxima capacitate, seu idoneitate iuris in tali sacerdote, nihil est quod impediat talē delegationem seu facultatem. Accedit tandem, quod Episcopus ipsius penitentiis, dando illi facultatem confitendi sacerdotibus, etiam sibi non subditis, à suis Episcopis approbatis, consequenter quantum potest, approbat illos pro tali penitentiis: nihil ergo amplius desiderari potest. Nihilominus tamen etiam censo certum, quod supra dixi, posse Episcopum dare hanc facultatem limitatam ad eligendum confesorem tantum sibi subditum, & à se approbatum: quia hæc facultas est gratia, pendetque ex voluntate eius, quod magis vel minus ampla concedatur. Quod vero ad factum spectat ex verbis concessionis intelligendum erit, quantum ampla facultas concedatur. Dico tamen, ample esse intelligendam, nisi expresse restringatur quia est fauor, & consequenter ampliandus, quantum proprietatis verborum seruato iure communi permittit.

Solum

76  
Dubium.

Prima solutio.

17  
Secunda solutio.

Verba solutio.

18  
Quinta solutio.

Ratio.

Solum potest circa hanc facultatem dubitari an possit Episcopus eam dare subdito, per illummet approbando sacerdotem eligendum, etiam si alias, neque a se, neque ab alio Episcopo approbatus sit. Videtur enim posse, quia Concilium facit Episcopo facultatem approbandi per examen, aut alias, prout ei videbitur: ergo potest hoc modo, & per hanc facultatem illum approbare. Item Episcopus potest committere hanc facultatem approbandi, vt de Vicario diximus: vnde saepe committit superiori religionis, vt quem ille approbauerit, approbatus ab Episcopo censetur: ergo potest dicto modo concedere hanc facultatem, virtualiter committendo approbationem ipsi poenitenti.

In contrarium vero est, quia videtur aperte repugnare intentioni Concilij: nam in re perinde illud est, ac dare facultatem eligendi quemlibet sacerdotem non approbatum. Item, quia si Summus Pontifex illo modo concederet facultatem, conferret dispensare in hoc communi iure, quod non potest facere Episcopus. Præterea (vt hoc obiter dicamus) non potest Episcopus hanc approbationem vniuersaliter, & quasi confuse dare, alias posset generaliter & sine vilo delectu approbare omnes sacerdotes sui Episcopatus: quod profecto absurdissimum est: non solum enim in hoc peccaret grauissime, quod est indubitatum: sed etiam, vt existimo, nulla esset talis approbatio: nam est manifeste contra intentionem, & verba Concilij: postulat enim approbationem in particulari factam in tali persona, quæ idonea iudicari valeat, quod dici non potest de illa confuse approbatione. At vero, si daretur facultas eligendi in illa forma, per illam approbaretur in confuso quilibet sacerdos: nam quilibet potest à poenitente eligi. Nec refert quod talis sacerdos non approbetur simpliciter, sed tantum ad hanc personam audiendam: quia perinde est: nam ita requiritur approbatio ad vnius personæ concessionem audiendam, ac vnius prouinciæ. Itaque censeo talem facultatem non posse dari ab Episcopo. Et ad primam rationem dubitandi responsum est. Propter secundam vero addo, si talis poenitens vere sit homo doctus, posse Episcopum ei committere, quia non sit peioris conditionis propterea quod sit poenitens, tamè hæc est facultas diuersa, & necesse est vt prius habeat suum actum, quam altera de eligendo confessore: & non omnis poenitens est capax illius, quia ideo nec per se in illo includitur, neque hoc fieri præsumitur, vbi neque in personis est proportio seu capacitas, neque in concedente potest esse mortaliter intentio.

Quinto ex his facile constat, quid dicendum sit de Parocho: nam ille etiam potest dare suis parochianis facultatem eligendi confessorem, qui debet esse approbatus ab Episcopo, vt supra ostensum est, & potest si velit, restringere facultatem, vt sacerdos eligendus debeat esse approbatus à proprio Episcopo suæ diocesis, quia amplitudo, vel restrictio facultatis voluntaria illi est. Adde, consequenter loquendo iuxta probabilem opinionem supra tractatam, & seclusa speciali proprij Ordinarij prohibitionem, etiam posse dare suo parochiano facultatem eligendi quemcumque sacerdotem approbatum à proprio Episcopo ipsius sacerdotis, quicumque ille sit. Imo, si in sua licentia nihil aliud declarat, nisi vt possit eligere approbatum iuxta formam Concilij, ita erit intelligenda: quia interpretanda est iuxta commune ius: hæc autem est iuris communis intelligentia, vt ex dictis patet. Ratio est eadem, quæ supra est tacta, quia vnusquisque sacerdos per approbationem sui Episcopi fit proxime capax cuiuscunque iurisdictionis delegatæ in hoc foro, & alioqui Parochus habet ius, & potestatem delegandi suam iurisdictionem cuiuscunque sacerdoti capaci illius: ergo potest id facere per facultatem concessam poeniten-

Fr. Suarez. tom. 4.

ti ad eligendum talem confessorem. Atque simili ratione concluditur, posse Parochum delegare iurisdictionem suam directe cuiuscunque sacerdoti approbato ab Episcopo ipsius sacerdotis, etiam si non sit subditus Episcopi ipsius Parochi delegantis, neq; ab illo approbatus: quod videri potest creditu difficilius: sequitur tamen consequenter ex dictis. Nam talis sacerdos est capax cuiuscunque iurisdictionis delegatæ: & Parochus habet etiam integrum ius suum, sicut ante Concilium posset committere vices suas cuiuscunque sacerdoti idoneo, cuiuscunque diocesis esset: ita enim se habet nunc respectu cuiuscunque sacerdotis approbati ab illius Episcopo. Item, quia, potest suo parochiano dare licentiam, vt talem sacerdotem in confessorem eligat: ergo etiã vt parochianorum suorum confessiones audiat: nam eadem ratio est de vno, & de omnibus, & illa correlatiua sunt, nihilq; refert quod vni, vel alteri licentia directe concedatur, Dixi, seclusa speciali prohibitione proprii ordinarij, quia potest vnusquisque Episcopus (vt verius existimo) prohibere omnibus Parochis sibi subiectis, ne sacerdotem aliquem vilo modo in coadiutorem assumant, neque illi delegent iurisdictionem suam, nisi à se fuerit prius approbatus, quantumcumque ab alio Episcopo approbatus sit. Nec solum existimo posse hoc prohibere, sed etiam irritare delegationem aliter factam, nõ ob speciale decretum Concilij, sed ex vi proprij muneris. Vnde etiam ante Concilium existimo idem potuisse. Quia iam supra ostendi superiorem pastorem posse reuocare, & consequenter etiam irritare delegationem à suo inferiori factam, & maxime ex causa rationabili: hic autem intercedit maxima, quia hoc potest esse valde necessarium ad conuenientem gubernationem suæ diocesis; & ad vitanda multa incommoda, quæ ex alio vtu sequi possunt, quæ in superioribus tacta sunt, & Ioannes Guierrez supra late ea profequitur, Cuius rationes in hoc casu scilicet respectu facultatum, vel delegationum, quæ sunt ab inferioribus, sunt efficaces: non tamen ratione Concilij, sed ratione iuris ordinarij, & euenientis subordinationis: quæ ratio cessat in facultate à Potestatis concessa. Quocirca seruari in hoc debent Parochi speciales ordinationes suorum Episcoporum, siue scripto, siue consuetudine, siue alio modo de illis constet. Maxime vero aduertere oportet, quando Parochus ita delegat vices suas alicui sacerdoti alterius diocesis, vt permanenter illum accipiat vt Capellanum seu socium sui muneris, iam tunc sacerdotem illum domicilium, seu quasi domicilium transferre in aliam diocesim, ac pro tunc fieri subditum Episcopo illius diocesis, ideoque speciali ratione indigere approbatione talis Episcopi, vt ibi munus suum exerceat: quod est in praxi maxime seruandum, esset enim contra ordinem conuenientem, quod aliquis exerceret tale munus in aliquo Episcopatu, non approbatus ab eius Episcopo.

Sexta Dubitatio.

Sexto explicandum est, quod supra supposuimus quomodo, scilicet, possint Episcopi hanc facultatem dare cum limitatione personarum, vel locorum, vt verbi gratia, approbando hunc confessorem ad audiendas confessiones virorum, & non foeminarum, seu in hoc oppido, & nõ in illo. Aliqui enim hanc potestatem negant Episcopis: quia Concilium solum illis commisit iudicium, an persona sit sufficiens, & idonea: vnde, si semel iudicant illam esse idoneam, non est in arbitrio eorum vt possint limitare, vel ampliari approbationem. Nihilominus existimo Episcopos hoc posse facere iuste, si ex iusta causa, & debito modo hoc faciant. Et in primis vsus & consuetudo illis fauet: & cum in hac parte superiores sint, si euidenter non constat iniuste facere, aut abusi potestatem suam pro illis præsumendum est,

19  
An possit concedi approbatio cum limitatione personarum vel loco, &c. Quorumdam opinio.

Verba solutio.

Kk

& eo.

Nauarr.

& eorum iudicio standum. Deinde ratio est manifesta, quia, ut bene notauit Nauarrus in Summ. capite 4. numero 10. & 11. potest interdum sacerdos esse idoneus ad audiendas confessiones aliquarum personarum, & non aliarum, ut verbi gratia, scholasticorum, non vero iudicum. &c. ergo potest Episcopus iudicare hunc idoneum respectu harum personarum, & non illarum. Rursus in diuersis oppidis, vel ciuitatibus reperitur (saltem pro maiori parte) hæc varietas personarum: ergo ratione illius potest approbare pro uno oppido, & non pro alio. Et idem est de distinctione virorum, & feminarum: quia confessorem esse idoneum & sufficientem, non pendet solum ex scientia & doctrina, sed etiam & maxime ex aliis conditionibus prudentiæ, & bonitatis, & interdum potest ætas multum referre: & inde merito, omnibus pensatis, potest iudicari idoneus ad has personas, & non ad illas.

## SECTIO I.

*An approbatio semel concessa possit reuocari.*

Varia doctorum sententia.

Aliqui simpliciter negant, quia non est fauor pendens ex voluntate Episcopi, sed quasi sententia quædam, quæ transit in rem iudicatam. Alij vero affirmant posse Episcopum ad nutum illam reuocare: quia Concilium tribuit Episcopis hoc ius, quo possunt libere uti. Alij distinctione vtuntur de regularibus, & secularibus sacerdotibus: nam in illis dicunt reuocari non posse: fecus vero in his: quia iurisdictio secularium sacerdotum pendet ab arbitrio Episcopi, vnde potest eam reuocare: iurisdictio autem religiosorum non ita, quia datur à Papa, vnde non potest ab Episcopo reuocari, & ideo semel approbati, semper manent approbati. Sed hæc ratio non est ad rem, quia non agimus de iurisditione, sed de approbatione, & potest reuocari iurisdictio manente approbatione: ergo, licet Episcopus possit reuocare iurisditionem, quam ipse delegauit sacerdoti seculari, adhuc manet questio, an possit reuocare approbationem: & similiter potest reuocare iurisditionem, si eam delegauit sacerdoti regulari. Denique etiam è conuerso in sacerdote seculari potest esse iurisdictio delegata à Pontifice, vt per Bullam Cruciatæ: illa ergo differentia ex illo fundamento non recte assignatur. Et ideo alij fundant illam differentiam in speciali priuilegio concessio religiosi: sed de tali priuilegio mihi satis non constat.

*Prima Assertio.*

Approbatum diu non reuocatur. Nauarr.

Primum ergo assero, approbationem hanc semper durare quandiu non reuocatur, ita vt nec per mortem concedentis extingatur: sicut de presentatione Mendicantium facta Episcopo docuit Nauarr. in Summ. cap. 27. n. 266. & in cap. Placuit, n. 163. de Pœnit. d. 6. cum Gloss. in Clem. Dudum. §. Status. verb. Concesserunt, de Sepulturis, ex Extrauag. Inter Cunctas. §. Duos, de Priuileg. Et ratio est, quia hæc non solum est gratia, sed etiam est iuridica declaratio, quæ etiam vim retinet quandiu non reuocatur.

Secundo dicendum est, hanc licentiam ex iusta causa reuocari posse: quod, saltem in secularibus, nemo credo negabit, Et probatur ratione, quia nullum est ius, quod prohibeat hanc approbationem reuocari: neque illa habet ex se vnde irreuocabilis fit: ergo. Maior per se constat. Minor probatur: nam fundamentum illius approbationis non est immutabile, fundatur enim in scientia, moribus, & aliis conditionibus necessariis ex parte confessoris ad hoc ministerium conuenienti modo exhibendum;

potest autem sacerdos mutari quoad hæc omnia, vt per se constat: ergo ex hac parte non est inuariabilis hæc approbatio, sed prædicta causa seu mutatione interueniente ex parte personæ, & de illa iuridice constando, poterit approbatio data reuocari. Et confirmatur à simili ex capite *Accepimus*, de ætate, & qualitate, in illis verbis *Nisi forte postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos*. Dicitur enim ibi, eum, qui reputatus est idoneus ad ordines suscipiendos, reputandum etiam esse ad beneficium: neque admittendam esse contra illum exceptionem indignitatis, nisi post ordines susceptos reddiderit se indignum: potest ergo, qui idoneus erat, fieri non idoneus: ergo & approbatio eius potest reuocari.

Et confirmatur secundo: nam interdum constare potest priorem approbationem fuisse ex notabili errore factam: ergo, si certis iudiciis id constiterit, potest approbatio data merito reuocari.

Potest autem hoc constare per nouum examen approbatorum, ad quod faciendum habet ius in primis successor Episcopi: nam est nouus pastor, & propriam obligationem induit: vnde non est cogatur ratas habere omnes facultates à prædecessore concessas: potest ergo, vt suæ conscientie satisfaciatur, ad examen vocare omnes approbatos, & quos idoneos non inuenit, reprobare, atque ita approbationes reuocare. Atque hoc supponere videtur Pius V. in Motu proprio anni sepruagesimi primi, qui est 128. & incipit, *Romani Pontificis*: vbi etiam de Mendicantibus ait posse pro maiori conscientie suæ quiete à successore de nouo examinari: ergo supponit hoc esse ius commune, quod multo magis habebit locum in secularibus, quia non est verisimile voluisse concedere Episcopi nouam facultatem, quam ratione suæ iurisditionis non habebant, sed solum non auferre quam habebant. Hoc autem examen non permittitur solum propter aliquam cærimoniam, sed ad quietem conscientie vt ibi dicitur: ergo, si ex illo constiterit aliquid non esse idoneum, poterit eius approbatio reuocari.

Hic autem modus non tam facile admittendus est in eodem Episcopo, qui approbationem dedit: quanquam in rigore etiam ille videtur habere hanc potestatem in suos subditos: quod ex eodem Motu proprio colligi potest: nam ex speciali priuilegio conceditur ibi Mendicantibus, vt semel tantum ab eodem Episcopo examinari possint: ergo, secluso priuilegio habet Episcopus hoc ius, vt ibi supponi videtur. Et quidem: si approbatio concessa fuit sine præuio examine, non dubito quin possit Episcopus etiam semel à se approbatos in examen vocare, imo etiam quoad Mendicantes hoc videtur supponi in illo Motu proprio, & in priuilegio ibi illis concessio: attente enim sunt legenda illa verba: *Voluimus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate, & diocesi suis suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari*: non enim sine causa additum est verbum illud, *præuio examine*: igitur qui sine præuio examine approbati fuerint, postea examinari poterunt, & consequenter si per illud constiterit priorem approbationem non fuisse rite factam, poterit reuocari. Quod si priuilegium illud aliquid speciale concedit, sequitur, etiam eos, qui per examē approbati semel sunt, posse iterum in examē vocari ab eodem Episcopo, si tali priuilegio non gauderent.

Quod certe in rigore, & quasi de absoluta potestate Episcopi verum videtur, quia nullo iure hoc illi prohibetur: neque in hoc facit iniuriam sacerdotibus examinandis, quia illi per approbationem non fuerunt consecuti nouum aliquod ius, sicut acquirit Parochus postquam semel beneficium receperit: nec denique Episcopus semel examinando, & approbando, aliquo titulo se obligauit illud examen ita semper firmum habere, vt nunquam illud in dubiū

reuoct.